Puteano. (145).

Nobilissime atque Amplissime Domine

Mitto hodie ad Antonium Oem, qui fasciculo suo tuas involverat alterum Principis Diploma, quo D. Cornelii Grijph commeandi, quod invideo, ad te potestas, clara nunc, et sine scrupulo facta est. Tu verò parum pro autoritate amicitiæ facis, quam intercedere mihi tecum benignè sinis, qui in re levi, quod in magna nunc possis grandem scilicet molestiam daturus, per nescio quas excusationum ambages humanitatem tuam circumducis. Sic me aut exteri, aut ignoti, aut terræ filii adeunt, tu contrà, audentior ito; et in rebus obsecro gravioris momenti quarum in potestate mea deliberatio sit vel administratio periculum integerrimæ nostræ erga amicos fidei, cum opus erit, facito. Nihil mihi nec Hagæ gratius accidet τρυφῶν, nec ad exercitum jucundius βαστάζοντι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν καύσωνα. Vale Vir summe et me non minus ama, quia libertatis avitæ tutorem. In castris ad Bergam XI Cal. Octobr. 1631.

Barlæo

Clarissime atque amicissime Domine.

(146).

Cum in Castris, quæ postremæ ad Bergizomium insedimus, adeò omnia morbi invasissent, ut a manibus victrici dexteræ solus cum famulo superessem, de ampliandis quidem Otiorum libris, aut ænigmatis aut gryphis elaborandis planè non sollicitus, afferebantur cum literis Epinicia tua, quorum exempla Vander Burghius ut fatebatur, ad mensem asservaverat homo sedulus et promptæ fidei, ni mandes nimirum quid ~~quod~~ porrò curatum voles. Responsionem itaque ut differrem, aliquid ut opinabar, utriusque caussæ erat. et distuli verò magnificè ut vides, et in torporem etiam a silentio generosè concessi. Quid me vis præterea Barlæe, quid non vis? prohibe, sis, et impera, tantundem effeceris. eâ tandem fronte sum, tam ligneâ, tam siliceâ, ut olim ratiocinabamur, quid si piscem emisses? Ergo si hæc missa me sinis facere, Epinicia illa, ad huc à prælo sudantia tractaveram: laudaveram quoque coram amicis, ut meus meritò mos est, sed tanto parcius,

quantum

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 46v
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/636